
Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Decreto sobre colocación en situación de inactividad, de 13 de junio de 2003

Inadmisión del recurso contra
el nuevo decreto del dicasterio
por manifiesta carencia de fundamento

Prot. N. 29828-B/99 CA

N

Remissionis in statu quiescentiae

(Rev.dus X – Congregatio pro Clericis)

DECRETUM

1. Rev.dus X, natus die 22 Augusti 1961, die 27 Iunii 1987 ordinationem presbyteralem recepit pro Administratione Apostolica N, quae dein in dioecesi erecta est. Ipse die 25 Martii 1993 parochus nominatus est parvae paroeciae Y in loco v.d. “Z”, sed Exc.mus Episcopus N eum decreto diei 25 Septembris 1998 ab illa paroecia transtulit ad officium pastoris animarum seu “Seelsorger in den Pfarrkuratien O, P und Q” ad adiuvandum ibi Parochum, respective Administratorem, Rev.dum R. Recursu hierarchico die 8 Ianuarii 1999 a Congregatione pro Clericis reiecto, causa translationis dein coram H. S. T. perempta est.

2. Decreto vero diei 16 Februarii 1999, Exc.mus Episcopus Rev.dum X

Cómo citar este artículo: *Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Decreto sobre colocación en situación de inactividad, de 13 de junio de 2003*, Ius Canonicum 66 (2026) 313-321. <https://doi.org/10.15581/016.131.013>

amovit ab officio *ad quod* ipse nuper translatus erat et eum insuper usque ad revocationem amovit seu solvit a quocumque officio cum cura animarum exercendo in tota dioecesi: «Hiermit entpflichte ich Herrn Pfarrer X... von seinen Aufgaben in den Pfarrkuratien... und beurlaube ihn bis auf Widerruf vom seelsorglichen Dienst im Bistum N». Consequenter Rev. mus Vicarius generalis N sacerdotem certiore fecit ei deinde tamquam sustentationem datum iri tres quartas partes stipendii usque tunc recepti. Dicta amotio ab officio *ad quod* Rev. do X valde placuit, non autem solutio a quocumque officio cum cura animarum in dioecesi exercendo.

Quam ob rem Rev. dus X emendationem petiit decreti diei 16 Februarii 1999, sed Exc. mus Episcopus brevi epistola diei 1 Martii 1999 illam remonstrationem reiecit. Ille sacerdos tunc iterum ad Congregationem pro Clericis provocavit, quae autem die 9 Aprilis 1999 hunc quoque alterum recursum reiecit et quidem in limine, quam adversus decisionem Rev. dus X die 20 Maii 1999 ad H.S.T. recurrit.

Eadem vero Congregatio die 13 Novembris 2001 novam hac in re decisionem tulit, qua attenta, Em. mi et Exc. mi H.S.T. Iudices die 15 Decembris 2001 decreverunt non amplius disceptandum esse de recursu adversus decisionem diei 9 Aprilis 1999, salvo tamen «iure Recurrentis agendi, si et quatenus, adversus Decretum Congregationis pro Clericis diei 13 Novembris a. 2001».

3. Cl. ma Rev. di X Patrona die 28 Decembris 2001 eius recursum diei 26

(28) Novembris eiusdem anni et dein supplementa dierum 23 Aprilis necnon 1 et 2 Maii 2002 adversus Congregationis pro Clericis novissimum decretum diei 13 Novembris 2001 coram H.S.T. exhibuit.

Exaratis a C1.ma M. Wegan, Rev.di Recurrentis Patrona, memoriali pro recurrente, et a Rev.do N. Schoch, partis resistentis Patrono, memoriali pro Auctoritate ecclesiastica, Rev.mus H.S.T. Promotor Iustitiae votum prompsit pro rei veritate, cui Patroni partium rite responderunt.

Quibus omnibus praehabitis:

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

4. Praemisso quod:

–Rev.dus X nullimode impugnavit amotionem ab officio *ad quod* translatus erat, quam ob rem in casu tantummodo videndum est de eius solutione “usque ad revocationem” a quocumque officio cum cura animarum in dioecesi N explendo, licet ipse institisset ut sibi de novo pristinum vel saltem aliud officium cum cura animarum committeretur;

–In can. 274 agitur de clericorum habilitate ad obtinenda officia, *et* ad quorum exercitium requiritur potestas ordinis aut potestas regiminis ecclesiastici», necnon de eorum obligatione ad officium sibi legitime commissum suscipiendum et fideliter adimplendum, sed in eodem capite de clericorum obligationibus et iuribus (cann. 273-289) de eorum *iure, ut ipsi aliquod officium, de quo in can. 145 § 1, reapse obtineant, non fit mentio;*

– Requiritur utique ad normam can. 1025 § 2 ad licite ordines presbyteratus vel diaconatus conferendos ut candidatus, iudicio eiusdem legitimi Superioris, ad Ecclesiae ministerium utilis habeatur; item praecipit can. 269, n. 1, in contextu excardinationis clerici ex una et incardinationis in alia Ecclesia particulari, ne Episcopus dioecesanus ad eiusmodi clerici incardinationem deveniat, nisi necessitas vel utilitas suae Ecclesiae particularis id exigat; quam ob rem per se quaedam presbyteri vel diaconi idoneitas ad ordinem sacrum receptum utiliter pro bono Ecclesiae exercendum praesumenda est;

– Experientia autem interdum docet clericum nihilominus de facto non esse idoneum ad officium cum cura animarum vel ad quodcumque officium, de quo in can. 145 § 1, utiliter exercendum, immo simpliciter ad ministerium seu exercitium ordinis recepti, alicuius psychicae infirmitatis causa, rite implendum; quo ultimo casu Ordinarius procedere potest ad normam can. 1044 § 2, n. 2;

– Utcumque, orto dubio de clerici idoneitate ad officium cum cura animarum adimplendum, ad Ordinarium pertinet de re videre, antequam ei aliquod eiusmodi officium conferat, cauto tamen ne clericus sine proportionata ratione cum detrimento populi Dei absque eiusmodi officio maneat;

– Quod si clericus, amotione ab officio non impugnata, ab Ordinario suo non idoneus ad officium cum cura animarum adimplendum censeatur, nulla proinde habetur violatio legis eo quod Ordinarius ei novum eiusmodi officium non confert, sed eum a quocumque officio cum cura

animarum in dioecesi explendo solvit, nisi forte iudicium Ordinarii in re prorsus arbitrarium demonstraretur.

5. Attento quod Exc. mus Episcopus N Rev. dum X non idoneum habuit ad officium cum cura animarum in dioecesi adimplendum ideoque eum “usque ad revocationem” ab eiusmodi officio explendo solvit, et ad rem perpenso quod:

–Argumentum contrarium Rev.di Recurrentis, qui contendit translationem sibi paulo antea impositam praesupponere eum paroeciam *a qua* utiliter rexisse (cfr. can. 1748), nullius est momenti; nam causa translationis coram H.S.T. perempta, illa translatio non amplius impugnari potest ideoque firma evasit, sed id haudquaquam significat in iure constare de praesuppositis ipsius translationis (cfr. cann. 36 § 2 et 52);

–Praefatum Exc.mi Episcopi iudicium, nempe de Rev.di X non idoneitate ad officium cum cura animarum adimplendum, non solum, actis causae perscrutatis, fundatum apparet, verum etiam ex ipsius Recurrentis longis scripturis haud infirmatur; nam ipse sese exhibens tamquam parochum “extra ordinem”, in recursu diei 12 Martii 1999 ad Congregationem pro Clericis, asseruit se non habere tensiones insuperabiles cum 61 ex 69 presbyteris dioecesi N incardinatis (sed ideo utique cum 8), difficultates cum quibusdam laicis ortas esse cum ipse iustitiam defenderet, atque tantum minimam seu ad summum quintam partem fidelium in paroecia *a qua* illas graves tensiones cum ipso habuisse.

6. Perspecto, quoad Rev.di Recurrentis assertionem iuxta quam ex parte Exc.mi Praesulis N praescriptum can. 50 et consequenter ius defensionis violatum fuisset, quod:

–Exc.mus Episcopus Rev.do X die 19 Iunii 1998, id est Paulo ante eius translationem scripsit se ei, etiam ad mentem consilii presbyteralis, adhuc unam quidem occasionem, eam vero ultimam, daturum esse ad servitium sacerdotale in dioecesi exercendum quod attinet («daB ich Ihnen, auch nach Meinung des Priesterrates, noch eine Chance –allerdings die letzte– hinsichtlich Ihres priesterlichen Dienstes in unserem Bistum gebe»);

–Rev.dus X innumeras epistolas valde longas ad Exc.mum suum Episcopum dioecesanum dedit et cum eo ad quaedam colloquia venit, cuius ultimum die 11 Februarii 1999 habitum est seu quinque diebus ante impugnatum episcopale decretum latum;

–Quae cum ita sint, prorsus non intellegitur quo pacto Rev.dus X contendere audeat se ab Exc.mo Episcopo prius auditum non fuisse;

–Inepte, ceterum, idem Rev.dus Recurrens arguit quasi plena praevia discussio in contradictorio cum ipso ex parte Exc. rni Episcopi requisita fuisset ante unamquamque eiusdem Exc.mi Praesulis decisionem in casu.

7. Considerato, quoad cetera argumenta a Cl.ma Rev.di Recurrentis Patron adducta, quod:

–Nulla affertur et habetur norma iuridica quae Exc.mum Episcopum vetuit Rev.di X amotionem et remissionem in statu quiescentiae decernere

antequam causa translationis definitive clauderetur;

– Non probatur confusio ex parte Congregationis pro Clericis inter causas motivas pro Rev. di X amotione ab officio *ad quod* et eius solutionem “usque ad revocationem” a quocumque officio cum cura animarum in dioecesi exercendo; ex quadam, ceterum, forte imperfecta redactio alicuius rationis motivae pro decision administrativa nondum sequitur ipsam decisionem esse erroneam;

– Epistolae, ad quas Congregatio pro Clericis in impugnato decreto insuper remittit, Rev. di X defectum idoneitatis ad officium cum cura animarum adimplendum confirmabant, quia in eis agebatur de perlongis colloquiis telephonicis ab ipso de novo officio mox adeundo habitis, de eius sermone adversus Episcopum et parochum occasione ingressus in illo novo officio, necnon de incipiente dissensione in illis paroeciis *ad quas*.

8. Praetermissa quaestione de valde stricta Exc. mi Episcopi decreti diei 16 Februarii 1999 interpretatione postea a Curia N facta, cum Congregatio pro Clericis illud decretum, prouti iacet, utique approbaverit, sed non egerit de eius interpretatione posteriore, quam ob rem hac de re neque ex parte H.S. T. agendum est.

9. Perpenso, quoad Rev. di X sustentationem, quod:

– Clericus, *cum ministerio ecclesiastico se dedicat*, utique iure gaudet ad congruam remunerationem, ad normam can. 281 § 1; amotus vero ab officio per decretum Auctoritatis competentis, tantum ut ipsius subsistentiae per con-

gruum tempus prospiciatur ad normam can. 195, cauto tamen semper ne us quae ad honestam sustentationem sunt necessaria ipse careat (cfr. cann 269, n. 1, et 384, necnon, debitis distinctionibus servatis, can. 1350 § 1);

– In normis pro Administratione Apostolica N anno 1991 emanatis habetur § 9, iuxta quam congrua subsistentia, omnibus perpensis iuxta casum concretum determinanda, praebebitur presbytero qui ad tempus (seu “utique ad revocationem”) solutus est (“beurlaubt”) ab officio in dioecesi exercendo, ea tamen mente ut ipse recepturus sit ea quae ad honestam sustentationem necessaria sunt;

– Quibus dictis, iam patet Rev.dum Recurrentem inepte impugnare sustentationem reductam ad tres quartas partes stipendii antea recepti.

10. Considerato, tandem, ad assertam Rev.di X diffamationem quod:

– Ipse conqueritur de diffamatione, cum in s.d. *Schematismus für das Bistum N* exhibeatur tamquam parochus extra servitium, seu “Pfarrer a. D.”;

– Illa vero inscriptio veritati respondet et haudquaquam ulla ad rem legis probatur violatio.

11. Re sedulo examini subiecta in Congressu, die 13 Iunii 2003 coram infrascripto Cardinali Praefecto habito;

Decrevit:

Recursum, de quo in casu, ad disputationem coram Em.mis et Exc.mis Iu-

dicibus non esse admittendum et facto non admitti, utpote manifeste carentem quocumque fundamento.

Pro expensis retinetur cautio a Rev. do Recurrente in arca H.S.T. deposita. Utraque pars suo quaeque Patrono congruum solvat honorarium.

Et notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis sede, die 13 mensis Iunii anni 2003.

Marius F. Card. POMPEDDA, *Praefectus*
F. DANEELS, o.praem., *Promotor iustitiae*

